FR. HIERONYMI GERBI ... DE PRAESTANTIA, ATQUE UTILITATE MORALIS ORATIO...

Girolamo Gerbi

FR. HIERONYMI GERBI

ORDINIS PRAEDIC.

ORATIO.

QUO nam fato, Auditores Ornatissimi, fieri dicam, ut cum ceterae disciplinae omnes bonaeque artes clarissimorum hominum studio, atque industria aut perfectae, aut in meliorem fortunam adsertae, ac conlocatae sint, una illa (Moralem dico) quae aliis quidem omnibus jure anteponenda, ac praeferenda esset, non modo perfecta, atque inlustrata non sit, sed paene in deterius conlapsa videatur. Ac ne quis illud arroganter a me, & inconsulto jactatum esse suspicetur, convertat quaeso paulisper animum & illa ipsa disciplinarum ge-

nera circumſpiciat, quique in iis floreant, quamque multi, & quanta cum laude, ſic facillime (ut ajebat de Oratore Tullius) quanta ſapientium theologorum ſit paucitas judicabit. Neque vero id vel ſcriptorum deſiderio, vel exiguo facultatis hujus emolumento tribuendum putemus, quorum alterum infinita paene dixerim librorum, ſcriptorumque copia, qui in hoc genere ſtudiorum diſſeruere, alterum incredibili utilitate, atque adeo communi reipublicae univerſae beneficio depellitur. Et ſane meo quidem judicio quemadmodum reperire non eſt artem ullam, quae pluribus humanum genus commodis affecerit, exornarit, auxeritque, ita quae ab integro jam elapſo ſaeculo tot voluminibus, tot ſcriptis redundaverit uberius diſciplinam. At quae aliis naturalibus cùm facultatibus, tum artibus plerumque prodeſſe ſolet plurimum, ſcriptorum videlicet copia, huic detrimento fuit, & plurimo quidem, & maximo, ut optandum potius videretur permultos in re theologica non ſatis ornate, & copioſe verſatos a ſcribendi ſtudio utilius, ſapientiuſque abſtinuiſſe. Illa vero utilitas, eaque commoda, quae hominum mentes adlicere, voluntates movere, ac ſtudia incendere conſueverunt, noſtrates ſapientes parum adeo inpellunt, ut hac tempeſtate aurea illa quidem, & inmortalitate digna ſtudioſi pauci ſint, qui ea conſiderent, in pretioque habeant; vel quia uberiora commoda, copioſiores fructus, amplioremque laudem ex aliarum facultatum ſtudio perceptum iri confidant, vel quia in hoc ipſo ſtudiorum genere doctrinam, ingenium, eruditionemque ſuam oſtendere non poſſe formident. Utrumque autem a veritate alienum eſſe quam maxime nemo ſapiens non videt. Haec ego reputans ſaepe numero, ac ſerius mecum ipſe perpendens, Auditores, dolui, ac vehementer dolui Chriſtianam ethicam, artem artium, diſciplinarum columen, & fundamentum adverſis, iniquiſque

ſatis

fatis infeliciter agitatam esse, & quam omnis natio gentium, omnis semper antiquitas religiose coluit, suspexit, celebravit, illam ipsam neglectam, & quasi contemptam repudiari. Quae cum ita sint, nullus mihi jure succensere poterit, & sapientem fore puto neminem, qui illud mihi vitio vertat, quod Moralis dignitatem, utilitatesque pro virili demonstrandas, vindicandasque hac mea, quaecumque tandem ea futura sit, oratione susceperim, quum mihi id jure quodam meo deberi videatur. Ergo etsi ingenii vi, usu, atque exercitatione rerum, dicendique contentione parum me valere intelligo, planeque sentio; dabo tamen operam, ut ea quae in lectissimo hoc doctissimorum hominum clarissimorum civium coetu proferam, non indigna prorsus, cùm loci hujus majestate, tum Moralis merito, ac dignitate videantur. Adeste itaque animis oro vos obtestorque Aud., & me de praeclarissimae scientiae commodis dicentem, eo quo soletis studio, humanitate, ac benevolentia audite: neque ullo modo defuturam mihi orationem confido, quâ studiosos adolescentes, qui ad animarum salutem, populorumque regimen in hoc Seminario pie, sapienterque instituuntur, tantae tamque eximiae facultatis amore succendam, quâque sin minus expectationi vestrae faciam satis, saltem inbecillitati meae.

I. Et quidem nisi publicum omnis memoriae, atque omnium gentium testimonium haberemus, negari tamen nulla ratione posset, quod res ipsa palam loquitur, facultatem videlicet esse nullam, nedum in clarissimo disciplinarum coetu, sed etiam in artium multitudine liberalium, quae suas peculiares utilitates, sua praecipua commoda mortalibus non adferat, quibus vitam & tranquillitatis plenam degant, & felicitatis. Unaquaeque enim ad alicujus veritatis cognitionem homines evehit, adtollitque; felicitas vero (si qua tamen heic ha-

beri poteſt) alia quidem non eſt, quam quae in veri cognitione verſatur: expletur namque, ut ita dicam, ardens illud, ac vehemens deſiderium, quo ad veri cognitionem adficitur humana ratio; natura ſiquidem ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quaedam cupiditas veri videndi: indeque fieri exiſtimo, ut quicunque aliqua inſtructus facultate, apteque ornatus videatur penes cordatos viros bene audiat, & in exiſtimatione ſit, atque honore. Quod ſi in omnium facultatum ſtudiis adfirmare licet, quanto magis in diſciplinis iis, quae non modo externos hominum ſenſus, atque inferiores exornant, decorantque, ſed ſuperiorem eorumdem partem rationem nimirum inluſtrant, atque perficiunt? Quapropter quum mens, & ratio noſtra bene diſpoſita, certiſque praedita cognitionibus ea ſit, quae nos beatos heic, feliceſque conſtituit, inficiari quis poterit maximopere utiles hominibus, ac neceſſarias eas ipſas facultates, quae hanc illis felicitatem pariunt, ac beatitatem. Deplorare etenim ſolemus miſeram eorum hominum conditionem, quorum mentes anguſtae, humiles, oppletae tenebris, ac ſordibus nulla veri, nulla boni cognitione perfunduntur, ſed pecudum inſtar rerum ferme omnium intelligentia deſtitutae, turpi in coecitate, & caligine contabeſcunt. Quae cum ita ſint, ad Ethicam convertite Aud. cogitationem veſtram, & procul dubio intelligetis, quantae humano generi ſit utilitatis. Ceteris namque diſciplinis veri utique cognitionem debemus, huic non modo veritatis intelligentiam, ſed boni virtutiſque exercitium acceptum referimus. Aliae mentis aciem naturalibus obſitam tenebris acuunt, ſapientiae quidem innuunt viam, & ſi placet etiam inluſtrant, eo tamen lumine, quod & incertum eſt, & umbris permixtum; haec non modo naturalem intellectus humani caliginem removet, depellitque, ſed voluntatem etiam movet, ac trahit, animique affectus moderа-

dera-

deratur, & flectit; Haec ne dum calcandam ostendit semitam, sed euntes comitatur, eâque prosequitur luce, quae cum divinae mentis portio quaedam sit, nec certior esse potest, nec vero clarior. Aliae denique facultates (si consentaneae sibi esse velint) de officio, quo nihil est praestantius, nihil queant dicere; haec vero nisi sibi deesse velit de officio semper agat, nihilque praetermittat, quod ad officii partes insinuandas, tuendas, commendandasque conducat, necesse est; quum nulla vitae pars sit neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, quae officio vacare possit. Quis igitur vestrum, Aud., non fateatur tanto ceteris aliis facultatibus hanc unam praestare, quanto cognitionem superat operatio? *non enim auditores legis, justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*.

II. Et sane si tanti facienda est ea facultas, quae rationem dirigit, ac moderatur, Dialecticam dico, quod mentes nostras perniciosis erroribus absolvens, disserendi viam, methodumque disponit, certasque veritatis investigandae, atque aliis tradendae regulas & documenta continet, ne cui falso adsentiamur, neve ulla captiosa probabilitate fallamur, ut plumbeus ille ac veluti stipes censendus sit, qui Logicam non teneat. Si Medicinam jure ac merito suspiciunt omnes, humanoque generi perutilem praedicant, quod curam omnem, studiumque in eo conlocat ut diutius jucundissima hac coeli luce perfruamur, qua nullum aut amabilius, aut pretiosius corporis bonum inveniri potest, humanamque infirmitatem, si natura pateretur, immortalem faceret: Si denique (ut ceteras praeteream tacitus) sapientes omnes summis mathesim efferunt laudibus, & mentis humanae lucem, coelestium indagatricem, veritatis filiam vociferantur, eique Virgilianum illud aptant de fama dictum.

Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

Quoniam non modo orbis ambitum, longitudinem, altitudinemque metitur, sed incredibiles etiam, mirabilesque siderum atque astrorum motus numeris explicat, & quamquam dubii mutabilesque videantur, constantissimos esse demonstrat: Si hae, inquam, facultates tanto sunt in pretio, tantaeque utilitatis a gravissimis, & sapientissimis viris habentur, quid quaeso, Aud., dicendum de Ethica omnium multo praeclarissima, ac veluti Regina? quibus laudibus efferenda? quanto in pretio, quove in honore, atque existimatione habenda? quae tanto mihi universis aliis intervallo praeire meritis atque utilitate videtur, quanto tellurem astra superant amplitudine.

III. Neque tamen heic vestrum quisquam suspicetur detrahere me velle clarissimis quidquam disciplinis, amens sim si illud contendam; quin immo sapientissimorum virorum judicio adjiciam (si quid est) & meum. Magni facienda Dialectica, quae rem universam in partes tribuendo, latentem explicando, obscuram interpretando mirum in modum humanam juvat infirmitatem, merito proinde a Philosophis facultatum omnium organum, atque instrumentum nuncupata. Pluris habenda Medicina, quae omni qua fieri ratione potest mortalium prospicit valetudini, contrariis quibuscumque solertia sua remotis, & utilibus detectis, in subsidiumque vocatis, ut non inmerito e coelo delapsam, a superisque inventam, perfectamque crediderit antiquitas. Plurimi Geometria, cui si obvia quaedam concesseris (neque enim negari possunt) difficillima quaeque, in naturaeque sinu latitantia pandit, & omni remota caligine atque obscuritate ob oculos mentis ponit, ut neque inficiari a quoquam, neque in dubium verti nisi per summam inscitiam temeritatemque possint. At quid tandem? earum nullam mehercle contendo cum Morali vel dignitate rerum posse conferri, vel utilitate,

nisi

nisi sacra profanis, terrenis coelestia, humana divinis comparare velimus. Quid? non ne Logicam, Medicinam, Mathematicasque facultates, & ceterarum disciplinarum omnium inlustrem, gravissimumque chorum ad ethicam referri tandem videmus, atque ordinari? Neque enim differendi artem nobismetipsis comparamus, ut improbo poene dixerim labore ejus perfectionem adsequuti subtilibus praeceptis institutisque contenti majus nihil intendamus: Neque vero Medicinae, & reconditis ejusdem inventis adjicimus animum una diuturnioris vitae, perfectiorisque valetudinis voluptate; siquidem unum illud contendentes Epicureorum more fortasse viveremus, Christianorum non item. Neque tandem Mathematicis tantopere documentis insistimus, ut detecta coelestium corporum magnitudine, explorata distantia, comperto motu, diversisque prospectibus ac phasibus demonstratis, jejuna hac in contemplatione sistamus: quin potius tum medicis, & dialecticis, tum mathematicis atque aliarum sive artium, sive facultatum erudimur disciplinis, ut cognito naturae ordine, perspecta productarum rerum virtute, varietate, pulcritudine, magnificentia plane singulari, facilius & jucundius etiam ad opificis cognitionem, atque amorem provocemur, *invisibilia quippe Dei per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur*, & vires exeramus omnes, ut sobrie, temperanterque naturalibus hisce rebus utentes ad plenam demum, perfectamque aeternorum bonorum possessionem pertingamus. Quod igitur bonum, & obliquius, & remotius ab aliis facultatibus, nec nisi etiam perfunctorie, & praeter institutum adtingitur, idem illud per se ipsam data opera Moralis contemplatur, in eoque persuadendo, consulendo, praecipiendoque quiescit, & unice occupata est. Quare utilitatis, laudis, gloriaeque quidquid in ceteris, quantumcumque est, invenitur, ab hac una praestantissima divinaque scien-

tia dimanare derivareque conpertum eſt, atque exploratum.

IV. Quid quod in aliarum omnium artium ſtudio ſi labamur aliquando (humanum quippe eſt labi) aut parvi pendendus error, aut facili quidem labore revocandus? Quum enim harum cognitio facultatum naturae limitibus conſtricta teneatur, neque humanae rationis praetergrediatur ambitum, operoſum certe non eſt erroris cauſſam tenere, & cognitam declinare. At eheu quam miſere, quam infeliciter peccatur in moribus, quam aegre correctionem patitur culpa, quae ſecum plerumque in erroris ſocietatem vocat, & trahit voluntatem, niſi ſuperioris cujuſdam luminis virtute inluſtrata mens, ut falſa repudiet ac noxia, quae prius fuerat ceu vera, atque utilia ſequuta; error itaque in moribus non leve damnum, quod facile reparetur invehit, ſed animae peſtem parit, mortemque perpetuam. Si enim ſoluta corporum noſtrorum compage, mens quoque noſtra deficeret, nihilque aut ſperandum ſupereſſet, aut timendum, non mediocriter profecto dignitas ſanctiſſimae hujus diſciplinae, atque utilitas minueretur, quum diuturnitas ea ſit quae rebus omnibus pretium facit, & meritum; at quum ratio jam ipſa naturalis graviſſimis argumentis, quum omnium gentium, omniumque ſaeculorum conſenſus, atque adeo Fides ipſa nos doceat ad aeternitatem nos eſſe formatos, vix cujuſquam mens, aut cogitatio capere poteſt quantum ex hac ipſa ratione Chriſtianae Ethices utilitas, atque majeſtas commendetur augeatur inluſtretur.

V. Quamquam nobilius quid, ſublimiuſque mihi videor dicturus; vereor autem ut id quod dicam, perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſa etiam divina religio ad Ethicam referri viſa eſt; cur enim ſanctiſſima coeleſtium arcana nobis credentibus te-

tenenda proponit, Deum videlicet arctissimo foedere utramque naturam sociantem, divini sanguinis effusione humana scelera expiantem, idque genus plurima? nisi ut inmensam Dei Opt. Max. benignitatem, aequitatemque mirabili inter se connexione copulatas agnoscentes, quanta criminum sit atrocitas, quanta dignitas, majestasque virtutum intelligamus? Paucis multa perstrinxerim: Omnia Christianae Religionis dogmata (si serius perscrutemur) eo referri, & conlineare videntur, ut vel suam mortalibus infirmitatem detegant, vel ad supernam implorandam opem erigant, vel ut vitiorum fibras evellant, radices elidant, semina extinguant, integritatem suadeant, morumque commendent gravitatem; quae omnia ad continendos in officio homines, ad praeclara quaeque excitandos, atque ad beate feliciterque vivendum valere plurimum, nisi luci tenebras offundere velimus, inficiari profecto non possumus. Age vero: quid si neque religio ipsa vigere, nec Fides possit unquam a Moralis consortio divisa consistere integra, incolumis, atque illibata? nisi scelerate, ne dicam omnino perverse, contendat quisquam deturpatam, deformem, & exangui similem cadaveri genuinam illam esse Fidem ac Religionem, quod alienum vel ab ipsis perditis hominibus plerumque fuisse memoriae proditum est, quibus dum Ethices documentis & legibus vitam, moresque suos aptare visum est durum, maluerunt de Fidei etiam mysteriis male sentire, quam rectam Fidem cum pravis operibus conjungere atque conponere. Heic ego certe non disputo, Aud. quod tum a majoribus nostris viris oppido gravissimis ac sapientissimis late nobis traditum, tum in libris Deo auctore, hoc est instinctu afflatuque divino conscriptis apertissime consignatum est, concordiam nimirum ac societatem esse in primis necessariam mores inter, & Fidem, ne (quod turpissimum

 est,

eſt , & natura ipſa repugnans) operibus denegare , atque inſectari videamur ea , quae verbis, & ore Chriſtiani profitemur . Dicam ſolum, quod re ipſa conſtat, tantum meriti , ac virtutis a Fidei majeſtate deſumere moralem , quantum a probis & illibatis moribus fides ipſa ſplendoris habet, & ornamenti, ut neceſſario altera ſine altera neque exiſtere , neque excogitari , aut fingi poſſit unquam . Quae cum ita ſint, quis jam veſtrum, Aud. non perſpiciat, ultroque fateatur Moralem omnium eſſe complementum, omnium veluti finem diſciplinarum , quod a Platone magnificentius ſane , quam verius de Logica jactatum eſſe nihil moror . Quum igitur tantae utilitatis atque emolumenti ſive ad decus Reipublicae, & ornamentum, ſive ad commune bonum amplificandum, & noxia quaeque ſubmovenda habitae ſemper hae fuerint facultates, quae Ethicae famulatum exhibent , eique natura ſubduntur ſua ; quam utilem pro Deum inmortalem! quin potius perneceſſariam Reipublicae, quam gravem, quam omnium noſtrum commodis conſulentem, ac deſervientem Ethicam ipſam notabimus ? Illam illam inquam Ethicam , Aud. quae felicitatis parens, libertatis vindex, tranquillitatis comes, liberos, tecta, fortunas , caput ipſum noſtrum , auctoritatemque cuſtodit , cujus ſine praeſidio nec bonas ipſas artes , nec ceteras alias diſciplinas tenere, earumque fructus percipere poſſemus, quum illa ipſa ſit , quae ſtudiorum pondus , & laborem , a quo vitiata abhorret natura, libenter homini perferendum ſuis legibus eſſe praecipiat, & bonarum omnium artium exercitium , honeſtatem , decoremque commendet, atque ſuadeat . O eximiam igitur virtutum magiſtram , optimam veritatis indagatricem , felicitatis parentem , vitiorum expultricem ! quid omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet ? Tu enim (inquam cum Tullio) urbes peperiſti , tu diſſipatos homines in ſocieta-

cietatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tu litterarum, & vocum communione junxisti, tu inventrix legum, tu inventrix morum, & disciplinae fuisti, tu & vitae tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti.

VI. Verum pro miseram deplorabilemque sanctissimae hujus disciplinae conditionem! Quam omnis aetas, omnis non inculta, atque omnino barbara natio, quam boni omnes, & aequi rerum extimatores summis semper laudibus celebrarunt, illam ipsam homines parum ne sapientes dicam, an sapientiae osores pessimos? vilem, humilem, vulgaribus ingeniis, & ad altiora (ut ajunt) ineptis relinquendam vocare, ejusque utilitatem, dignitatemque non modo verbis extenuare, sed etiam conviciis audent lacessere. Tantum abest ut perinde ac de hominum est vita merita laudetur, ut a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur. O inscitiam non ferendam, o singularem audaciam, o inpudentiam praedicandam! Quae crux potest satis supplicii invidis obtrectatoribus adferre? Nunquam ego, Aud., ea homines indole tamque perverso ingenio, voluntate tam prava praeditos reperiri suspicatus fuissem posse, nisi egomet eorum criminationibus aliquando deliriisque interfuissem. At quid dicam? habet quidem aetas haec nostra egregiam istam prae ceteris praerogativam, ut ii etiam qui vel omnino coecutiunt in litteris, vel leviter admodum tincti sunt, ea quae ignorant contemnendo, atque irridendo sese litteratos efferant, & ovantes plaudant sibi. Vilis ne, humilisque appellanda, quae divinis, atque coelestibus saepe numero intenta, honestatis, virtutis, aequitatisque leges semper contemplatur? cui & cognitio ipsa naturalis juris, & notitia divini, & perfecta denique humani, sive canonici sive civilis intelligentia famulatur? Quae quanta Deo Opt. Max. quanta nobis ipsis,

quanta

quanta parentibus, propinquis, familiaribus, civibus, Patriae, reique publicae debeamus sapientissime concludit? Quibus equidem in muneribus rite persolvendis excellentia quaedam, & lumen relucet conditionis, & dignitatis cujusdam divinae. Quod si natura ipsa duce nihil praestantius aut sublimius virtute est, quo tandem animo ferre possumus virtutum omnium parentem, atque magistram ineptissimorum hominum querelis jurgiisque laceratum iri? Ingeniis ne relinquenda vulgaribus ad quam studia omnia intenderunt sua multo omnium sapientissimi, clarissimique viri tum ex nostris, tum ex Ethnicis ipsis sive graecis sive latinis, iique potissimum quos non solum laude, sed etiam veneratione omnis est antiquitas prosequuta? & complures eorum remotissimis etiam peragratis provinciis, transmisso mare, nihil diversorum climatum incommoda, nihil itinerum duxere pericula, ut illam tandem adsequerentur? Coecum igitur nominabimus Socratem, Aristotelem, Panaetium, Xenofontem, Tullium, Plutarchum, Senecam, clarissima veteris memoriae lumina? ut eos primum appellem, qui etsi infidelitatis tenebris, & gentium caligine detinerentur, tanta religione, tanta verborum ac sententiarum gravitate, & copia de Deo, de virtutibus, de vitiis, deque universa hac altissima philosophia scripsere, ut non humano mihi lumine, sed prope divino perfusi disseruisse videantur. Ineptum ne Platonem, divinum illum inquam Platonem, qui AEgyptum, Architam Tarentinum, eamque Italiae oram, quae magna graecia dicta est, lustravit, quid ut novi in hac facultate audiret, & audiendo semper proficiens semper se melior fieret. Stupidum ne Apollonium illum philosophum, qui teste Hieronymo Persas, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiae regna penetravit, qui Brachmanas, Aelamitas, Babylonios, Chaldaeos, Medos, Assyrios, Parthos, Phoe-

nices,

nices, Arabes, Palaeſtinos inviſit, verae ut hujus ipſius ſapientiae praeceptionibus, ac documentis a celebrioribus Gynnoſophiſtis inbueretur, nihilque praetermitteret intentatum, nihil inauſum, quod ad comparandam ſibi graviſſimam facultatem conducere videretur. Certe non modo meo quidem judicio non imperiti, non inepti, non ſtupidi, ſed tanto majoribus laudibus, ampliorique gloria celebrandi, quanto in inquirenda, excolendaque eximia facultate ſapientius laudem voluere. Quid vero de noſtris doctiſſimis nimirum Eccleſiae Patribus dicam Cypriano, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, ceteriſque, qui plerique omnes in Morali partim adverſus Heterodoxos vindicanda, partim adverſus gliſcentes abuſus exponenda, atque inluſtranda ſtudium omne, operamque conlocarunt? An vero aut ingenioſior Auguſtino, aut eruditior Hieronymo, aut Cypriano, Baſilio, Chryſoſtomo, Gregorio eloquentior quiſquam fuit unquam? Quis autem tam hoſpes eſt in lectione Patrum, & peregrinus, qui neſciat, ſapientiſſimos hoſce viros divinam facultatem ſemper feciſſe tanti, ut vel uni huic ſtuduiſſe, vel ad hanc quidem ſtudia omnia retuliſſe ſua videri poſſint? Ita profecto palam eſt Ethices illos ſtudium non vitio, ſed laudi, non ignominiae, ſed gloriae, non dedecori, ſed honori plurimo ſibi eſſe tribuendum cenſuiſſe.

VII. Sed quid ego propoſitis heic Scriptorum inluſtrium exemplis inſignem laboro certorum hominum inſcitiam, temeritatemque refellere? cum ſatis ipſa per ſe nutet, corruat, explodatur? digna quae potius tenebris obcultetur, & ſilentio ſempiterno, quam quae tam gravibus monumentis diutius convincatur falſitatis. Age vero: Fingamus animo abolitum hujus facultatis nomen atque ideam, nullas exiſtere omnino leges, nullos magiſtratus, nullas caeremonias religio-

nemque

nemque, nulla societatis humanae, ac gentium jura, nulla bene dispositae disciplinae judicia, quis quaeso animal hoc providum, sagax, rationis plenum, & consilii, quem vocamus hominem, a ceteris discernat pecudibus, & jumentis, nisi (ut opinor) ex hoc ipso nequius evaderet, deteriusque, dum ratione & consilio, quo jumenta destituuntur, in scelera abuteretur, & violentius rueret quo turpior, atque effraenatior raperet libido. Quas immanitates, quae barbara flagitiorum portenta, quae monstra, ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis conflata non intueremur? Alter alteri insidias, caedes, rapinas machinaretur, & dolos: Avaritia fidem, discordia foedus, turpitudo pudicitiam, impietas probitatem, rationem furor, religionem temeritas, luxuria pudorem, & verecundiam (si qua tamen esset) subverteret: Sicarii, venefici, fures, peculatores raperent consumerent, sua parvipenderent, aliena cuperent, nihil veri, nihil sancti, nihil pensi & moderati haberent homines; paupertas probro, simplicitas vitio haberetur, innocentia duceretur pro maledicto. Dissoluta ubique modestia, advocata licentia, deserta veritas, inflammata cupiditas, neglecta sanctitas, dehonestata religio, perturbata tranquillitas, simultatum, dissimulationum, proditionum, turbulenta undequaque seditio. Quis domi securus? quae in contractibus aequitas? quae in promissis fides? quae honestas in moribus? quae in parentes pietas? quae in officiis humanitas? quae temperantia in voluptatibus? quae in periculis fortitudo? Ubi liberalitas? ubi Patriae amor? ubi vel bene merendi de altero, vel referendae gratiae voluntas? ubi commercium? ubi societas? ubi amicitiarum foedera? ubi agnationes, & discrimina familiarum? ubi animorum conjunctio ad humani generis conservationem non modo perutilis, sed omnino necessaria? ubi denique

ve-

vestigium aut signum aliquod necessitudinis, continentiae, virtutis, humanitatis? Uno verbo sine Moralis praesidio, legumque custodia Mundum universum non rationalium creaturarum receptaculum, & domicilium, sed belluarum antrum factum doleremus.

VIII. Non est equidem recusandum, quin sublatis etiam institutis & jussis populorum, tantum nihilominus superesset mentibus & cogitationibus hominum splendoris & luminis, quo virtutem (si velint) agnoscere complectique, & vitium odisse possent ac declinare. Neque enim quia jure coercentur, iccirco turpia esse, & mala omnia, quae nobis interdicuntur existimandum est, cum multa natura ipsa auspice talia sint, & mutis etiam legibus hujusmodi agnoscantur. Communis namque intelligentia notas nobis res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute, in vitiis turpia conlocemus. At quamquam omnibus praeclarum lumen istud affulgeat, quam pauci tamen sunt virtutis, honestique sectatores, qui hujus ipsius luminis praeceptionibus vitam & mores suos aptent conformentque; quum plurimi ex adverso divina hac luce contempta vitiorum illecebris, & fucata quadam turpitudinis voluptate abripiantur? Quid multa? vere mihi videor esse dicturus, quod publico omnium gentium calculo conprobatum est: Si tanto huic naturae beneficio accedentibus etiam Principum legibus, Magistratuum decretis, sententiis Judicum, vix nihilosecius nefariorum hominum scelus, & audacia comprimitur, vix optata datur tranquillitate, & otio frui, vestrum est, Aud., judicare quid futurum esset, si iis etiam Ethices praesidiis, & adjumentis careremus? Certe poenarum satis, & suppliciorum luerent impii interdiu, noctuque angore conscientiae agitati, scelerisque cruciatu, verum nisi haec ipsa (ut ita dicam) Naturae supplicia cum Moralis, & legum metu

so-

focietatem habeant, quis non videat fceleratis haec ad vitium coercendum, comprimendamque licentiam vel modica effe repagula, vel nulla fortaffe; quum contra nemo fit tam audax, ac perditus qui poftquam confcientiae fraenum contempfit, moralis vindictam non timeat, & legum feveritatem.

IX. Quod quam late pateat, & vero conforme fit, ut plenius intelligatis, memoria repetite, Aud., tenebricofiffima illa tempora, quibus neglectus Moralis ufus, & defpecta legum difciplina: convertite ad eas nationes oculos, quae nullo hujus fcientiae lumine perfunduntur, fi qua tamen natio hujufmodi reperiri unquam poteft. O tempora, o mores! Ego equidem quum animo fubeunt illarum gentium deliria, portenta, immanitates, lacrymis abftinere vix poffum: Furiofas dicam, & amentes, an vero coecas, & ftupidas? quae fanguine delectabantur humano, quae vi, ferro, quae caedibus, quae rapinis, quae incendiis fatiari non poterant, quae fumantes liberorum cruore hilari nedum intrepido vultu fimulacrorum fubftinebant aras, & de quarum victimis comedebant adipes, quae vivos fepulcro ineptos ad bella gerenda mandabant infantes, quae demum cum confanguinitatis vinculum, cum amicitiae nomen, tum omnia divina atque humana jura temere ac fceleratiffime violabant. Mirum tamen illud videri debet nemini: tantae enim facultatis aut viduatae fplendore honeftum non cognovere, quod adfirmare vix aufim, aut cognito honefto, quod facultatis ejufdem vi & praefidio carerent, non adhaeferunt. Quis enim una nifi Moralis nefariis fceleftorum aufibus obfiftat? quis vitia removeat? quis effraenem temeritatem coerceat? quis ingruentia propulfet fcelera? quis licentiae fraena conftituat? quis denique inordinatos animi motus cohibeat atque componat? ex quibus tamen rite moderatis fapienterque conftitutis pax unice con-

consurgit, & tranquillitas Reipublicae. Ergo si horridas ejusmodi ac luctuosas calamitates nos qui Christiano gloriamur nomine, neque intuemur, neque formidamus, si tantorum malorum iliade nostris hisce temporibus liberi videmur, gravissimis sanctissimisque Moralis institutis acceptum referamus. Quamquam neque nos omnino liberos ausim dicere: etsi enim Christianorum Regiones eo ferocitatis, atque dementiae nequaquam pervenerint, ut sanguine delectentur humano, neque aetas nostra abjecto humanitatis sensu anthropophagos alat, suis tamen & quidem lamentabilibus non caret incommodis, quae partim corruptus, partim neglectus Ethices usus nutrit, fovet, amplificat. Quid? non ne calamitas, improba certorum hominum temeritas, qui omnia sibi licere, omnia infringere, omnia inutilia, aut certe a Theologis rigidioribus conficta timoris incutiendi ergo nuncupare audent, & sanctissima quaeque despectui habere, atque contemptui? Ut eos omittam qui e regione vitam moresque tam severe, strictimque componunt (multo tamen pauciores) ut dum hinc religiosius declinare vitium, laxitatemque contendunt, verum illinc putumque invehant *Jansenismum*, culpae siquidem fuga nisi sapientia, prudentiaque dirigatur, vitio carere non potest. Quid? non ne calamitas longe maxima, serpentes undique haereses, conscientiae libertas, incredibilis opinionum varietas, detestanda copia, hinc orta dissidia, implacabiles animorum conflictus, extinctus charitatis ardor, accensa bella, devastatae Provinciae? quae omnia pacis incommoda, concordiaeque detrimenta superfluum profecto videtur alio, quam ab inquinata, atque infracta Ethices disciplina repetere ac derivare.

X. Testem heic appello foecundam olim Sanctorum parentem, miseram nunc infelicemque Angliam,

er-

errorum, haeresum, schysmatum, sectarumque varietate quadam & multitudine plane mirabili miserrime laceratam. An non iis omnibus aerumnis nimium eheu diuturnis adytum praebuit, facemque praetulit famosus ille Enricus, dum christianam moralem suis voluptatibus inservire voluit? quodque sibi per illam licere minime posse conspexit, eandem repudiando per vim usurpavit? Quid memorem Transylvaniam, Helvetiam, Prussiam, Svetiam, Pannoniam, Daniam florentissima quondam inperia, quae Lutherus excusso Moralis jugo, rejecto continentiae fraeno, omniumque libidinum illecebris adprobatis, polluit, infecit, fusdeque miscuit; quodque dolendum magis est, adversus Romanam Ecclesiam Sanctissimae disciplinae magistram nefariis suis conatibus obsistentem armavit, & odio incendit vatiniano, quod duobus jam integris saeculis non modo imminutum non est, sed novum in dies accepit incrementum. Quod si eminus convertamus oculos, & priora nascentis Ecclesiae saecula retro intueamur, videbimus profecto nullum neque publicis, neque privatis, neque externis, neque domesticis rebus incommodum aut malum contigisse, quod a vitiata Moralis praxi originem non agnoscat, & trahat suam; sed haec silentio praetereunda mihi esse arbitror, ne obductas antiquorum vulnerum cicatrices acerbius refricare videar; ut enim prosperitatis, laetitiaeque, qua aliquando perfusi fuimus, grata omnibus, & jucunda memoria, sic aerumnarum, atque infortunii misera illa, quidem, & luctuosa solet esse recordatio. At vero quibus in regionibus divina floruit scientia, & pro dignitate culta est, quae commoda Deus bone! quas utilitates, quae beneficia non peperit? procul illinc trepidationes, tumultus, discordiae, inimicorum submota longius offendicula, coercitum scelus, eliminata licentia, custodita aequitas, sanctitas

ctitas amplificata, honestata religio. Omnia moderate, omnia quiete, sanctissimeque constituta, omnia diuturnitate pacis, & tranquillitatis cum securius confirmata, tum copiosius amplificata sunt. Ea propter coelesti perfusi lumine veteres Patres, praestantes illi quidem, divinique homines, ut posterorum animos ad studium praestantissimae disciplinae, atque amorem provocarent, excitarentque, meritum illius, gravitatem, utilitatesque verbis amplissimis celebrantes, qua facultatum omnium Reginam, qua sanctorum scientiam, qua invictissimam fidei arcem, sapientiae magistram, divini partum intellectus, unicum veritatis, atque ineluctabile propugnaculum, ex quo mille clypei pendent omnis armatura fortium, nuncuparunt. Nec vero laudes solum Moralis, & fructus recensuere, verum etiam omni rationum supellectili, argumentorumque copia ab eorum praxi ne latum quidem (ut ajunt) unguem recederemus, diligentissime monuerunt, ac quodammodo deprecati sunt.

XI. Quod cogitanti saepe numero, ac serius memoria recolenti satis mihi temperare non possum quin novitatis studiosis quibusdam Theologis denique irascar, qui haec a majoribus sapienter, & caute custodita, religioseque nobis commendata nihili facientes, vel inpotenti opinandi libidine abrepti, vel ingenio nimium indulgentes suo diversam omnino calcare viam, alias regulas sequi, novam invehere, antiquisque incognitam Moralem voluerunt; quasi vero doctiores Patribus, aut sapientiores forent, nec periculose praesumeretur quidquid in talibus ipsorum prudentia praeterivit. Quo factum est, ut elegantem formam, & castissimam quodammodo Moralis faciem temere conspurcaverint, & turpiter plerumque lapsi confixas a supremo Ecclesiae Hierarcha opiniones suas miserrime doluerint. Quid enim aut excogitari superbius, potest aut fingi

fingi, quam posthabitis antiquae, integraeque Ethices documentis ad iniquam luxuriantis rationis lancem, velut ad lydium lapidem conscientiae casus exigere, & difficillima quaeque marte suo resolvere? Quid Religioni periculosius, quidve heterodoxis jucundius, aut optabilius quam divinarum institutionum auctoritatem offuso speculationum importuno pulvere obducere, ut inlusis animorum oculis decor Fidei, gravitasque vilescat, quae temeritas in doctoribus periculosior quandoque est, quam aperta transgressio. Vae ergo prophaetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quî enim videre possunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Apostolicas litteras, neque ad Evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt, & ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere.

XII. Facile intelligo ex vestra admurmuratione, Aud., agnoscere vos, qui sint ii de quibus loquor; at cum ego neminem nominaverim, irasci mihi nemo poterit, nisi qui seipsum prodere voluerit. Me quidem ingenue fateri non pudet quam maxime ab istorum Theologorum opinionibus alienum; cum enim rationis humanae, cui tantopere innituntur, tenue lumen, elumbem opem, incertam virtutem videam planeque sentiam, non possum in caussa praesertim tam gravi iis me ducibus committere, nisi in periculum velim ruere voluntarium. Quam ob rem vehementer errant si qui tamen sunt, qui me aut *Probabilismi* aliquid redolens, aut novitatis docturum arbitrantur: quin immo si quid exercitationis in me, si quid facultatis est (exiguum quidem) totum illud in eo constituam, ut pro virili declinata novitate, non recentem, neque corruptam, sed antiquam, puram, intactamque Moralem studiosis tradam. Neque enim eorum dicto subscribere licet, qui fidei solum do-

doctrinam utique a veteribus, morum vero a junioribus repetendam esse censuerunt. Vetus illa quidem non modo in Fide, sed etiam in disciplina (quantum fieri potest) praxis ratioque tenenda est, quoniam sicut ab Apostolis fidem, ita ab Apostolis conversandi in Ecclesia percepimus ordinem: non mutandus igitur disciplinae modus, sicut illibatum custodiendum ipsum Fidei fundamentum. Quare qui nova excogitare in morum velit disciplina, ei comparo qui aut solem admotis facibus inlustrare, aut in coelum quasi tot astris non satis illuminatum nova sidera inserere contendat. Omissis ergo coenosis *probabilistarum* fontibus, rejectisque novis opinionibus, sacris litteris, traditioni antiquae, Pontificum decretis, Conciliorum sanctionibus, nec non sanctorum Patrum doctrinis unice adhaerendum est. His ducibus altum, & longe lateque diffusum Christianae Moralis pelagus transmittemus, eorumque auspicio periculosas syrtes, coecos scopulos feliciter eludemus; neque erit sapientium quisquam (ut opinor) qui illud nobis in vitium vocare audeat, nisi validis infirma, incerta securis, nitidis obscura, veris denique falsa, sin minus dubia praeferenda esse voluerit. Hujus ego Ethices meritum, dignitatemque, non illius conatus sum ostendere; hanc probitatis magistram, securitatis ducem, non illam periculi parentem, nequitiaeque comitem commendavi; hanc vero docens, non illam sequor, quoniam quantum illa molestiae detrimentique adferre solet Reipublicae, tantum haec utilitatis atque felicitatis. Sed ut unde orsa est, in eodem terminetur oratio mea, revertor nunc tandem ad vos Optimi Adolescentes, bonarumque omnium disciplinarum studiosissimi. Si igitur omnes inter facultates nulla sublimior, aut praestantior, commodior nulla, aut utilior Morali est, videte etiam atque etiam quanti vos facere oporteat

vos

vos inquam qui exemplo, qui verbo, qui publice qui privatim populos aliquando curae veſtrae, ; diligentiae ſubjectos docturi eſtis Moralem.

FINIS.